

DISPUTATIO JURIDICA

Ad

L. Transigere XVIII. C. De Transactionibus.

Divinâ adspirante gratiâ

P R Æ S I D E

CONRADO CARPZOVIO,

J.U.D. Profefs. publ. Curiaë Provincialis & Con-
fistorii Ecclesiastici, nec non Facultatis Juri-
dicæ Assessore.

R E S P O N D E N T E

CHRISTIANO CARPZOVIO

Coldicens. Misnic.

Habebitur

Ad diem ²³ 16. Augusti hõris matutinis in
Auditorio Jctorum.



W I T T E B E R G Æ,

Typis AUGUSTI BORECK Acad. Typog. Anno 1628.

Cista 19. No 14.

DISPUTATIO JURIDICA

AD

E. P. regere XVII. C. De Transactioibus

Divina adspirante gratia

P R A E S I D E

CONRADO CARPZOVIO

M.D. Prof. publ. Cur. Provincialis & Con-
sistorii Ecclesiastici, necnon Facultatis Jur.
dicae Altorf.

R E S P O N D E N T E


CHRISTIANO CARPZOVIO

Collicent. Milnic.

Hebdom.

Ad diem d. Augusti horis matutinis in

Auditorio Ictorum.



W I T T E B E R G

Typi Augusti Boreck Acad. Typog. Anno 1628.





In Nomine Domini nostri JESU CHRISTI.

L. 18. C. de Transactionibus.

TRANSFIGERE vel pacisci de crimine capitali excepto adulterio prohibitum non est, in aliis autem publicis criminibus, quæ sanguinis poenam non ingerunt, transfigere non licet, citra falsi accusationem.

THESIS I.

MOdum litium multiplicatum summam atque inexplicabilem facere difficultatem, nemo negabit. Ex litium namque frequentia animorum distractionem, familiarum alienationem, denique seditiones & sæpissimè Rerumpubl. everfiones & interitus contingere, ipsa experientia satis ostendit. Illi ergò, quibus salus Reipubl. curæ est, & præcipuè, qui juris & justitiæ Sacerdotes se profitentur, omnibus modis id agere debent, ne lites ullæ exoriantur, aut verò si quæ existant, ut justa celeritas istis imponatur. Unde Julianus lites diminuere ad officium Prætoris pertinere censuit, l. quidem 21. ff. de reb. credit., suoque exemplò Justinianus Imperat. id passim nos docuit. Hinc eam ad rem varia & salutaria remedia sunt introducta è quibus transactiones non postremum locum sibi vendicant: quarum permissio extat in hac L. nostra, de qua Anton. Fabr. lib. 2. de conjectur. jur. civil. cap. ult. inquit: nullam esse legem in toto Codice Justiniano, quæ obscuriorem habeat præstatum, quàm hæc ipsa.

A 2

Divi-

REIPUBL



II.

Dividitur autem à Glossographis, imò & recentioribus Interpretibus in duas partes, & cuilibet parti exceptio sua adsignatur. Nos quidem & divisionem probamus, & primæ partis exceptionem lubentes admittimus: at de posteriore, utrum & illic exceptio recipi queat, infra diligentius nobis erit dispiciendum.

III.

Prima pars est de criminibus capitalibus, licet crimen capitale in accusatione publica publicisque judiciis illud sit, quod pœnam irrogat, sive ea vitam adimat, sive libertatem vel civitatem *l. 2. ff. de publ. judic. l. rei 2. l. damnum 8. l. capitalium 28. cum seqq. ff. de pœnis*. Hic tamen strictiorem significationem retinendo ad eas duntaxat referimus causas, quæ pœnam sanguinis ingerunt, sive quibus pœna mortis est proposita, cujusmodi sunt homicidia, latrocinia, & hodie ex moribus & Friderici constitutione furta quinque solidos excedentia per effractionem pacisquæ publicæ violationem commissa, *2. Feudor. 27*. Sic enim pœna sanguinis accipi solet *l. ult. §. ult. C. de Jud. & Cœlicol. l. ult. ff. de prævar. l. 1. ff. de bonis eor. qui ante sent. Giphani ad hanc L. pag. (mihi) 78. Alciat. n. 41. Hugo Donell. n. 2. Mare. Ant. Delrio num. 8. Francisc. Duarenus ad tit. ff. de Transact. cap. 2. Jacob. Cujac. lib. 6. Observ. 11. Johann. Gædd. de contrah. vel comm. stipul. cap. 6. n. 132. item ad L. licet 103. ff. de V. S. num. 3.*

IV.

Primò itaque ajunt Imperatores: TRANSIGERE VEL PACISCI DE CRIMINE CAPITALI, EXCEPTO ADULTERIO, PROHIBITUM NON EST. Idem indicat *l. ult. ff. de Prævaricat. & l. 1. ff. de Prævaricat & l. 1. ff. de bonis eor. qui ante sentent. &c.* Ubi perelegans ab Ulpiano ratio redditur, quod Imperatores ignoscendum censuerint ei, qui sanguinẽ suum qualiter qualiter redemptum velit. Cui sententiæ prorsus succinit Latinorum disertiss. M. Tull. Cicer. in Orat. pro T. Ann. Milone num. 4. dum asserit: Hanc non scriptam, sed natam esse legem, si in vita nostra in aliquas insidias, si in vim, si in tela inimicorum incidisset: omnis honesta ratio esset

Expe-

305
expediendæ salutis. *Francif. Connan. lib. 5. comm. cap. 7. n. 2. Matth. Klok. in comm. ad hanc L. part. 1. cap. 2. Johann. Borchold. de Transact. cap. 3. num. 66.*

V.

Verbis istis: **PROHIBITUM NON EST**, indicatur ratam esse transactionem & pactionem, ut accusator, qui transegit vel pactus est, amplius reum accusare non possit *l. fratris 10. l. causas 16. C. de Transact. Donell. ad hanc L. num. 3.* Quamvis autem adversarius, cum quo transactum est, causam resuscitare nequeat, minime tamen alii, quicumque tandem illi sint, ab accusatione arcentur *l. qui cœtu 5. S. final. ff. ad l. jul. de vi publ. l. 3. S. si ad plures 9. ff. de sepulchr. violat. Gloss. hic in verb. prohibitum. Petr. Gilck. ad hanc L. num. 5.*

VI.

Sed quid proderit reo transactio, si non liberatur ab accusatione publica? utique prodest; Ab illo enim cum quo transegit, denuò accusari & molestari nequit, & si præter transigentes de crimine commisso nemini constiterit, à pœna reus liberaretur, qui hoc casu non fit infamis, nec pro confesso habetur, ut in cæteris criminibus, *l. athletas 4. S. final. cum ll. seqq. ff. de his qui no- rant. infam. nec incurrit pœnam, quam solet alioquin incurrere is, qui accusatorem corrumpit, l. in fisci 4. l. ejus qui 29. l. Imperatores 34. ff. de jure Fisci. Alciat. num. 11. & 12. Ant. Delrio num. 62.*

VII.

Neque valet tantum illa transactio & pactio de crimine capitali, sed etiam in utriusque persona accusatoris scilicet & rei est impunita. Et quidem de reo adeo dubium non est, quin legitime transigat & in transigendo nullam pœnam mereatur *l. Grachus 4. C. ad l. jul. de adult. Donell. ad hanc L. n. 11.*

VIII.

Quod autem attinet ad accusatorem, permulti docti viri sunt in hac opinione, eum ob desertam accusationem incidere in SC. Turpill. & pœnam falsi, quæ in jure illis infligitur, qui ab accusatione citra abolitionem destiterunt. Sed hanc opinionem propter sequentes rationes approbare non possumus. 1. Quod in

L. nostra sit infinitum scriptum, LICERE TRANSIGERE
VEL PACISCI DE CRIMINE CAPITALI, quibus verbis
perspicue indicatur, licere & accusatori, & reo. II. Quod in
extrema parte hujus L. de aliis criminibus publicis dicatur:
NON LICERE TRANSIGERE CITRA FALSI ACCU-
SATIONEM: quibus verbis declaratur de capitalibus, hoc
est, sanguinis pœnam irrogantibus, citra falsi accusationem
posse transigi. Id verò quid aliud est, quàm ita posse, ut transi-
gens in SC. non incidat. III. Quod accusatori liberâ transi-
gendi & paciscendi potestate ablatâ nulla reis miseris redimen-
di sanguinis spes aut ratio superesset. IV. Quod ratio redi-
mendi sanguinis, licet reorum magis propria sit, ad accusatorem
quoque accommodetur, quem subscriptionis necessitas adstrin-
git, l. qui crimen 3. C. de his qui accus. non poss. Cujus vis illa est, ut
pœnæ talionis subjiciatur l. final. C. de Accusat. l. ult. C. de calumniat.
Ant. Fab. 2. Conject. cap. final. Alciat. ad hanc L. num. 15. & 16.

IX.

Hæc verba; EXCEPTO ADULTERIO, duplicem im-
portant difficultatem: quarum altera in ratione, altera in pœna
consistit. Quæ difficultas ex hoc oritur, quod olim adulte-
rium non fuerit capitale, & apparet ex l. si quis viduam 5. ff. de que-
stion. l. qui testamento 20. §. mulier 6. ff. qui testam. facer. poss. l. Clau-
dius 13. ff. de his que ut indign. & c. l. qui cum uno 4. §. adulterii 7. ff.
de re militar. l. 2. §. miles 3. ff. de his qui not. infam. Ludovic. Schwart-
meyer Miscellan. jur. lib. 1. cap. ult. & lib. 2. cap. 3. Rationem quod
attinet permultæ & quidam probabiles commemorari possint,
quas M. Ant. Delrio ad hanc L. num. 72. & seqq. recenset & ritè at-
que ordine subvertit.

X.

Ratio, ob quam de adulterio transigere vel pacisci prohi-
bitum est, verior videtur: Quod cum accusatio hujus criminis
certis quibusdam duntaxat personis competat, marito videli-
cet & consanguineis atque conjunctis, l. 30. C. ad l. jul. de adulter.
perfacile fieri possit, ut admisâ transactione facinus istud impu-
nitum

306
nitum maneret, quod ut non fiat Reipublicæ interest. *l. ita vul-*
neratus ff. ad leg. aquil. quam rationem adducit Gilkenius *ad h. l.*
11. n. 20. aliam habet Don. *hic n. 7.* quem sequitur Coëdd. *de certo.*
& comm. stipulat. cap. 6. conct. 12. n. 151. aliam Coraf. *2. Misc. 2. con-*
nan. 5. com. 7. n. 3. Hotom. *illustr. quest. 23.* aliam Duar. *de transact.*
c. 2. Glok. hic p. 2. c. 2. aliam Alciat. *5. paradox. c. 1.* Cujac. *lib. 6. obser. 11.*
Borch. de transact. c. 3. n. 72. aliam Accursius *in Rubr. ad L. jul. de*
adulter, aliam Bartol. *hic & in l. ita nobis pudor, C. ad L. jul. de adult.*
aliam Salicetus, Fulgos. Castrens. Alexand. & Jason. *hic.*

XI.

De pœna verò ita statuimus: Ex antiqua Romuli lege ma-
rito & cognatis facultas necandi adulteros erat concessa, *Petr.*
Heig. part. 2. quest. 29. num. 41. & seqq. M. Anton. Delrio ad h. l. num.
99. Gœddæus ad l. inter stuprum 101. ff. de V. S. num. 4. Hoc iudicium
istis personis ablatum Octav Augustus L. Juliae de adult. auctor,
ad populum seu Magistratum, cujus erat de criminibus notio,
transulit, & intra relegationem consistere voluit *l. 1. ff. ad l. jul.*
de adulter. Petr. Heig. d. quest. num. 48. cum seqq. Coraf. Miscell. lib. 2.
cap. 1. Porro cum d. l. Julia desuetudine serè aboleretur, à Do-
mitiano fuit revocata, suoque vigori restituta *Sueton. in Domi-*
tian. lib. 6. Adeo jure veteri, hoc est, ante Constantis & Constan-
ti tempora obtinebat, ut adulterii crimen legitimè sive ordina-
riè sanguinis pœnam non irrogaret, ac ne quidem deportatio-
nis, sed tantùm relegationis, ut rectè sentiunt *Hotom. quest. illustr.*
23. Cujac. lib. 6. Observ. cap. 11. Anton. Fabr. Conjecturar. lib. 2. cap.
ult. Johann. Borchold. de Transact. cap. 3. num. 70. Matth. Klock. ad h.
L. part. 2. cap. 2.

XII.

Primi itaque Constans & Constantius fuisse feruntur, qui
fecerint hoc crimen capitale, *l. 4. C. Theodos. Quor. appellat. non*
recip. Borchold. de Transact. cap. 3. num. 70. Heigius quest. 29. part. 2.
n. 65. quæ severitas repetita & confirmata est Constitutione Chri-
stiani Imperatoris Constantini Magni *l. quamvis 30. C. ad L. jul. de ad-*
ult. cui cum ipse Justinianus dispositionē hujus legis adscripserit,
Novell.

Novell. 134. cap. si quando 10. cur nos eidem eandem non adscribamus? Cæterum Justinianus in d. Novell. pœnam circa mares nequaquam immutavit, sed solummodo crimini huic circa fœminas leniorem gladio imposuit. Etenim eas competentibus duntaxat verberibus cæsas in monasterium mitti sive detrudi jussit, cum sub Theodosiano & Valent. pœna gladii æquè in fœminas ac in viros usurparetur, quod vel cognoscemus ex *Ammian. Marcellin. qui lib. 28. sic scriptum reliquit: Nec minus fœminæ quoque calamitatum participes fuere similibus: nam ex hoc quoque sexu peremptæ sunt originis altæ complures adulteriorum flagitiis obnoxia vel stuprorum; inter quas notiores fuere Claritas & Flaviana. Tandem post Justinian. Leo Imperat. pœnam capitalem noviter abrogavit Novell. 32. in qua sancivit, ut adulteris utrisque nasus abscinderetur. Sed hæc constitutio Leonina nihil ad nos.*

XIII.

Hinc non intempestivè statuitur, hæc verba EXCEPTO ADULTERIO à Triboniano inserta esse, ut convenirent cum decisione ipsius Justiniani, & cum constitution. Constantini l. quamvis 30. in fin. C. ad l. jul. de adulter. §. item l. ex julia de adult. 4. Inst. de public. judic. Novell. 134. cap. si quando 10. Neque dubitandum, quandoquidem Tribonianus alios quoque locos interpolavit, id est, Jus vetus accommodavit juri novo, quod tamen tanquam à se factum & profectum Justinianus accipi jubet l. i. §. 6. v. ut omnes C. de veter. jur. enucleand. Unde nec subscribere possumus excellentiss. Anton. Fabr., qui lib. 2. conjecturar. cap. ult. voculas hæc L. nostræ EXCEPTO ADULTERIO prorsus ejicere annititur, eas neque à Triboniano, sed ab imperito quodam Glossographo adjectas esse contendens; nec Matth. Klok, qui part. 2. cap. 1. ob hanc insertionem bonum illum Tribonianum mangonem indiget. Potius assentimur. Giphon. ad hanc L. item Donell. num. 6. Petr. Gilck. num. 24. Cujac. lib. 6. Observ. ii. qui unamiter adseverant, verba ista sive à Triboniano, sive ab aliis Juris compilatoribus fuisse adjecta.

XIV.

Cum stuprum regulariter capitale crimen non sit, parum aptè

307
aptè quæritur, an in eo idem jus sit, quod in adulterio. Stupri
pœna ut olim ita & hodie est in honestioribus publicatio partis
dimidiæ bonorum; in humilioribus corporis coërcitio cum rele-
gatione §. item lex julia 4. Inst. de publ. jud. Giph. ad d. §. 4. Petr.
Heig. part. 2. quest. 29. num. 78. Wesenbec. in Paratit. ff. ad L. Jul.
de adult. num. 21. Itaque quærenti, an de eo permiffa sit Trans-
actio, non dubium est, quin ad sequentem L. nostræ partem per-
tineat. Donell. ad hanc L. n. 8. Petr. Gilcken. num. 27. Gædd. de contrab.
vel. comm. stipul. cap. 6. num. 151.

XV.

Si tamen tractetur de hujusmodi stupro, quod capitali sup-
plicio coërcetur, quale est, si quis cum masculis nefandam ex-
erceat libidinem §. item lex julia de adulter. 4. Inst. de publ. jud. l.
cum vir 31. C. ad L. Jul. de adult. l. mariti 29. §. ult. ff. eod. De quo cri-
mine erat olim L. Scantinia, de qua Cic. lib. 8. Epist. famil. n. 12. dubi-
tatio oritur; de tali tamen stupro transactionem licitam esse ve-
rius videtur. Gilck. hic n. 27. Coras. 2. Misc. 1. n. 5.

XVI.

De Raptu transigi non posse, statuunt nonnulli quia in raptu
stuprum multò gravius est pr. Instit. de vi bonor. raptor. l. qui cætu §.
§. qui vacantiem 2. ff. ad L. jul. de vi publ. l. unic. C. de raptu virg. Ex
quibus textibus Dd. & has proliciuntur rationes I. quod raptus
crimen sit atrocius, L. Julia potestatem excedat, d. §. qui vacan-
tem 2. II. quod appellare volentibus nulla detur licentia, d. l.
unic. verb. quibus & si appellare &c. III. quod conscii hujus crimi-
nis reperti & convicti, quales sunt transigentes, pœnæ capitali
subjiciantur, d. l. unic. §. pœnas autem 2. IV. quod parentes, si
patientiam præbuerint, aut dolorem remiserint, deportationis
pœnâ coërcantur. d. §. pœnas autem 2. verb. parentibus &c. Giph. ad
hanc L. & ad §. item lex julia de adult. Instit. de publ. jud. Donell.
num. 8. M. Ant. Delr. num. 114. Petr. Gilck. num. 32. Arum. in disp. ad
hanc L. conclus. 38. Gædd. de contr. vel commit. stipul. cap. 6. num. 151.
Verum, de crimine raptus transigere & pacisci permissum esse
probabilius videtur & communiter receptum. uti testantur Anton.

B

de

de Padilla hic n. 79. Alex. n. 12. Salic. n. 8. Alciat. n. 23. Sich. circa f.
nem. & Angel. n. 4.

XVII.

Præter crimen adulterii Dd. & Glossographi etiam Perduel-
lionem five crimen læsæ Majestatis excipiunt, eique, ut vocant,
similem, hæresin, quæ sententia nobis improbatur. Rationes
autem hæ sunt I. quod L. nostra solum adulterium excipit, vi-
deatur innuere, in reliquis criminibus pœnam sanguinis infe-
rentibus, transactionem esse licitam, cum omnis honestus sit
modus expediendæ salutis. *Giphan. ad h. L. Cuj. Observ. lib. 6. c. 11.*
II. quod in crimine Perduellionis & Hæreseos non militant ex-
dem causæ, quæ militant in adulterio. Alioquin Hæresis inter
crimina publica refertur, & adeo abominationis est plena, ut &
Hæreticorum filii durius habeantur, *Auth. Gazaros C. de Heret.*
& *Manich.* quin & ipsimet Hæretici publicorum inter criminum
reos annumerati, nunc, infamiâ vel exilio, nunc sanguinis pœ-
nâ afficiuntur l. 4. & 5. C. eod. *Jacob. Lectius ad Modestin. l. si quis ali-*
quid 30 ff. de pœnis.

XIIX.

Alterâ pars hujus L. est de criminibus sanguinis pœnam
non ingerentibus de quibus agunt Imperatores non licere transi-
gere l. siquidem Zenoni 9. C. de contrah. vel committ. stipulat. *Francisc.*
Duaren ad tit de Transact. cap. 2. Borch. cap. 3. num. 92. Gœdd. de con-
trah. vel committ. stipulat. cap. 6. num. 159. Anton. Govean. lib. 1. variat.
lection. cap. 30.

XIX.

Ratio hæc est: quia hæc pactio & transactio sit turpis; vel
quia judicii atrocitatem accusatores eluderent, & in nequitia
hoc modo confirmarentur. *Giphan. ad h. L. item Petr. Gilcken. num.*
56. Anton. Fabr. in Rational. ad L. quoniam 5. ff. de his qui notant. infam.
Addas & hoc, ideo prohiberi hanc transactionem, quod cesset
ratio redimendæ sanguinis & vitæ *Gœdd. de contrahend. vel committ.*
stipulat. cap. 6. num. 159. M. Anton. Delrio ad hanc. L. num. 134.

XX.

Quæstio ex hac L. nostræ parte oritur: An etiam in crimini-
bus

308

bus privatis liceat transigere? cū in publicis videatur tantū
inducta hęc prohibitio. Hanc quæstionem tractat *Sichard. ad h.*
L. num. 9. & alii. Non ineleganter cum *Gloss. & Dd.* hic distin-
guimus, an civiliter an criminaliter agatur: si civiliter, pactum
non prohiberi, sin criminaliter, hujusmodi transactionem non
valere concludunt.

XXI.

Prius membrum hujus distinctionis probatur ex *l. post deci-*
tionem 13. C. de furt. ubi in causa furti, si civiliter agatur, licita est
transactio, idem probat text. in *l. si pro fure 7. in princ. ff. de condict.*
furtiu. l. si pignore 54. §. final. l. interdum § 6. §. qui tutelam 4. ff. de
furt. l. 7. §. si paciscar 13. verb. & in cæteris l. si tibi 17. §. quadam 1. ff.
de pactis. Posterius membrum confirmatur his argumentis:
I. Quia partes non possunt juri publico renunciare, & facere, ne
delicta maneant impunita, *l. locatio 9. §. quod illicite 5. ff. de public.*
& vectigal. II. Quod ita transigentes notentur infamiã, *l. furti*
6. §. pactusq; 3. ff. de hi qui notant. infam. ubi Anton. Fabr. in Rationalib.
III. Quod in hujusmodi criminibus non liceat compromittere
l. non distinguemus 32. §. Julianus 6. ff. de recept. qui arbitr. Petr. Gilck.
ad h. L. num. 60. Alciat. num. 54.

XXII.

Ex his, quæ hæctenus proposita sunt, facilè intelligitur,
quæcunque sunt crimina publica, mortis pœnam non irrogan-
tia, licet habeant sanguinis effusionem, nihilominus de his tran-
sigere non esse licitum. Idcirco non sunt audiendi, qui sta-
tuunt transactionem procedere I. in fustigatione sive flagellatio-
ne. Licet enim illic quædam sit sanguinis profusio, est tamen
vix alia, atque qualis per scarificationem, vel phlebotomiam
esse solet; quæ ut per se sanguinis pœna non est, nec mortem re-
stetè adhibita, adfert, ita nec fustigatio sive flagellatio *Gædd. de*
contrah. vel committ. stipulat. cap. 6. num. 137. & ad l. licet 103. ff. de
V. S. num. 4. Gilcken. ad h. l. num. 45. M. Anton. Delrio num. 41.
II. In membri mutilatione. Nam etsi ibi quoque sanguis ef-
funditur, sanguinis tamen pœna non est, cum vitæ vehiculum
non

non tollat, sed tantum in membro illo abscisso sistat. *Cædd. d. 6. 6. num. 138. Donell. num. 9. Delrio num. 44. Menoch. de arbitrar. judic. question. lib. 1. quest. 86. num. 9. & seqq.*

XXIII

Porro in hoc nostro textu sequuntur hæc verba: **CITRA FALSI ACCUSATIONEM**: quæ valde multorum ingenia detorserunt, de quibus à Dd. variè controvertitur; controversiam peperit ambigua significatio vocis **CITRA**. Aliquando enim ponitur pro **SINE**, aliquando pro **PRÆTER**, ut in *l. de servo ult. ff. de calumn.* ubi ait Papinianus *citra precii æstimationem*, quæri de calumnia ejus, id est, præter æstimationem. *M. Anton. Delrio ad h. L. num. 142.*

XXIV.

Quidam affirmant ita ea esse exaudienda, ut exceptionem ab altera parte **L. nostræ** complecti videantur. uti *Gloss. & plerique omnes veteres*, item ex *Neoter. Connan. lib. 5. comm. cap. 7. num. 3. Cujac. Observ. lib. 6. cap. 11. Borcholt de transact. cap. 3. num. 98. Anton. Delrio n. 162. Cædd. de contrah. vel committ. stipul. cap. 6. num. 160* Et hujus quidem rei hanc rationem tradunt, quod falsi accusatio ad pecuniariam æstimationem plerumque refertur, *l. ipse 7. C. ad l. Cornel. de fals.* Cæterum cum in privatis delictis criminaliter in judicium deductis transigere non liceat, ut supra dictum, non absurdum judicari queat, quod aliud in crimine falsi constituatur.

XXV.

Alii potius eorum verborum hunc sensum esse volunt, ut qui de crimine non capitali, id est, sanguinis pœnam non ingerente, transigit, in **S. C. Turpilliani** accusationem incidat. *Alciat. ad h. L. num. 71. Donell. num. 13. Rævard. lib. 4. varior. cap. 6. Brisson. in suo Lexico in voce Citra. Hottom. quest. illustr. 23. Anton. Fabr. lib. 2. conjecturar. cap. ult. Giphan. ad h. L. item Petr. Gilck. num. 66. Matth. Klok part. 4. cap. 1.*

XXVI.

Posterior interpretatio plerisque recentioribus magis probata,


309

bata, nobis prorsus necessaria videtur. Rationes, quæ hanc interpretationem confirmant, istas recenset Giphani: I. Quia & in hac L. nostra & in l. ult. ff. de Prævaricat. dicitur, in omnibus causis præterquam in sanguine eum, qui delatorem corripit, ex S. C. Turpill. haberi pro convicto, nec ullum crimen excipitur. II. Quia ratio h. L. seu juris valet in omni crimine etiam falso. Ut enim verum sit, interdum in falso agi privatim commodum, non tamen est falsum crimen publicum ob commodum privatim, sed ob publicum, quia in eo res publica laeditur. III. Quia nec ulla lex vel idonea ratio afferri potest, quamobrem falsi crimen excipiat. IV. quia licet articulus CITRA veteribus quidem interdum idem valet, quod præter: posterioribus tamen maximè hujus L. interpretationibus semper idem valet, quod SINE, ut videre est in l. tutori 20. C. de negot. gest. l. nullo 24. C. de Rei vindicat. l. indebitum 9. S. citra 1. C. de condict. indeb. l. nec filius 7. C. de reb. cred. l. si ex precio 6. C. si cert. petat. l. ultra 15. C. de act. empt. l. si aut nullum 4. C. de legit hered. l. matri 3. C. ad SC. Orfit. l. ult. C. unde legit. l. si cum 17. C. de evict. Et tantum hac vice de hac L.

*DEO, à quo omnia, sit
GLORIA.*

C 3

Ad



Ad

Ornatiss. Juvenem,

CHRISTIANUM CARPZOVIVM,

Epigramma.

O CHRISTIANE floridæ flos & decus juventæ
Sub fratre claro militans dum bella docta
pugnas,

Hoc allaboras scilicet, nec ausis id negare,
Ut culmen arduum Patris laudesq; adæmuleris,
Et fratris æques gloriam, quin hunc premas &
illum.

Augustus Buchnerus,
Profess. Public.

Præ-



Præstantissimo Domino Re-
spondenti Fautori & Amico suo
exoptatissimo.

C Arpзовios *inter claros numereris ut
olim
Respondes saepe ex Legibus in cathedra.
Quàm benè Magnifici (cui pax aeterna)
Parentis,
Fratrumq; immensum gloria calcar habet.*

accinebat

CORNELIUS Grull
Halberstad.



Præstantissimo Domino Re.

spondens, Patroni & Amico suo

exoptatissimo.

C. Arpovius inter claros numeratus et

olim

Responsor, spe ex Legatione in cathedra

Regni bene Magnifici (qui pax eterna)

Patentis

Facundia; immo summa gloria calcar habet.

scribitur

CORNELIUS QUIN


Halberstadt.



Vb 17


ULB Halle
002 673 282


3



TA → OL







B.I.G.

Farbkarte #13

JURIDICA

1628

Handwritten numbers: 12, 10, 303, 18, 2, 3

De Transactionibus.

ante gratiã

D E

ARPZOVIO,

Provincialis & Con-

on Facultatis Juri-

ore.

E N T E

ARPZOVIO

Misnic.

bris matutinis in
orum.



R G Æ,

ad. Typog. Anno 1628.

Handwritten number: 14